

# S I X T V S P A P A V.

DILECTO FILIO CAESARI BARONIO SORANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII

N V N C V P A T A E.



**D**ILECTE Fili, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius noster Antonius tt. SS. Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis Carafa nuncupatus Bibliothecarius Apostolicus nobis retulerit, a te primum Annalium Ecclesiasticorum volumen editum, aliaq. propediem edenda esse, opus non minus docte quam fideliter a te scriptum, & ad totius antiquitatis Ecclesiasticae notitiam comparandam valde vtile: quibus nimurum non tantum res gestae exacte per annos singulos recensentur, & quae de his obortae sunt contiouersiae elucidantur, sed etiam ipsi Apostolicarum traditionum fontes purissimi aperiuntur, atque haereticorum mendacia confutantur: Nos, qui eruditorum omnium fouere solemus ingenia: cum tuam in primis industriam, & egregiam pro Catholica Ecclesia nauatam operam magnopere in Domino commendemus: Cupientes, vt ijdem a te editi, vel edendi Annales Ecclesiastici ad integrum rerum veritatem custodiendam seruentur penitus incorrupti, & quam diligentissime fieri potest, typis excudantur: ac demum ne a quoquam seu negligentia, seu malitia, mendis deformari, aut aliter etiam forsan titulo mutato vel forma, mutari, corrumpi, vel deprauari possint: MOTV PROPRIO & certa nostra scientia, omnibus, & singulis Christi fidelibus, praesertim librorum Impressoribus, ac Bibliopolis, quo quis nomine nuncupatis, tam in Urbe, & illius districtu, ac statu, & ditione temporali nobis & S. R. E. mediate, vel immediate subiecta, sub quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolice eo ipso applicandorum, necnon amissionis librorum atque typorum; quam etiam per totam Italiam, & extra eam vbiuis gentium, & locorum constitutis, sub Excommunicationis maioris latæ sententia pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis; Autoritate Apostolica, tenore praesentium interdicimus & inhibemus, ne per decem annos a Data praesentium computandos, primum Tomum Annalium a te editum, & alios singulos a te edendos totidem annorum spatio ab vniuersitate eorum editione numerando, absque tua licentia imprimere, aliove titulo, vel forma, quo quis praetextu mutatos, vel alio quocumque idiomate versos edere, vel sic editos vendere, seu venales tenere audeant, vel praesumant. MANDANTES vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs locorum ordinarijs, eorumq. Vicarijs, seu officialibus in spiritualibus, generalibus, ac in dicto nostro statu Ecclesiastico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs officialibus: vt quando, & quoties per te, vel tuo nomine fuerint requisiti, praemissa contra inobedientes exequantur, & obseruari faciant, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibusvis personis quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si ad verbum infererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisq. contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt praesentium litterarum exemplis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem vbiique fides habeatur, quæ ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris. Die xxvi. Junij, M D LXXXVIII. Pontificatus nostri Anno quarto.

*Tho. Thom. Qualterius.*

# S I X T A S P A V

DIRECTO HIRIO CAESARI PARVINO SORNO

TRASLATO CONGREGATIONIS ORATORI

NUNCATIVA

